



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola LXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Carolomannvm Regem. Dolet de Caroli imperatoris obitu: hortatur vt promissa pro Romanae ecclesiae dignitate impleat: legatos se missurum pollicetur. eius ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

Dolet de Caroli imperatoris obitu : hortatur vt promiffa pro Romanæ ecclefiæ dignitate impleat : legatos fe miffurum pollicetur. eius precibus Theotmaro archiepifcopo pallium mittit : quem apoftolicæ fedis reditus, quos apud Baioariam habet, Romam annuatim tranfmittere iubet.

Carolomanno.

Carolo-
mannus
fuit Ludo-
uici Germa-
niæ regis
filius,
ac Ludoui-
ci Pii impe-
ratoris ne-
pos, ad
quem ali-
quot infra
fcribuntur
epiftolæ,
& de quo
Ado in li-
ne chro-
nicorum,
Aimoinus
lib. 5. c. 28.
Regino lib.
2. chron.
Rom. 11.

APICIBVS igitur, gloriofe fili, veſtræ dilectionis ſufce-
ptis cum parte gratulationis, veſtra incolumitate pro-
ſperitatisque ſucceſſu, Caroli imperatoris morte audita,
nimio triſtitiaæ fateor mœrore, ex latere ſumus attriti, ſed
ſubito vndam mentis noſtræ cogitatione ad diuinum iudi-
cium aliquatenus ſuſtollentes, in illud Apoſtoli obſtupe-
facti cogimur voce erumpere, dicentes : *O profundum diui-
tiarum ſapientiaæ & ſcientiaæ Dei! quam inſcrutabilia ſunt iu-
dicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſen-
ſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit?* quod idcirco di-
cimus, quatenus ſedula cordis meditatio humanæ fragi-
litate in hoc mari magno curſum vitæ inſtabilis intueri
non deſinat, atque ad ea gaudia quæ ſunt fixa & immobilia
noſtra actio, gratia Chriſti duce, anhelare contenta bonis
operibus nunquam deſiſtat. De cauſa ſane veſtri ad nos ad-
uentus, veſtraque ſublimiſſima promiſſione, Romanæ ec-
cleſiæ ſupra omnes qui fuerunt ante vos, eiufdem exal-
tatione, cum hoc opere compleueritis, aderit ille veſtri
retributor, qui per controuerſiam iuramenti confirmans
modulos humanæ locutionis, ait : *Viuo ego, dicit Dominus,*
quia glorificantes me, glorificabo. Dum a colloquio, vt dicitis,
fratrum veſtrorum fueritis reuerſi, legatos ex latere no-
ſtro ad vos ſolenniter dirigemus, cumque pagina capitulariter continente ea, quæ vos matri veſtræ Romanæ ec-
cleſiæ, veſtroque protectori beato Petro apoſtolo perpetualiter debetis concedere. Quibus peractis demum rur-
ſus ordinabiliter & honorifice mittemus, qui vos cum to-
ta decentia, vtpote tantum regem ad limina apoſtolorum
ductare

1. Reg. 1.

ductare studeant, vnaque conuenientes de statu reipublicæ, totiusque Christiani populi saluatione salubriter tractare, Deo opitulante, ac ordinare valeamus. Inter quæ quæso fili carissime, quotquot infideles nostros, nostræque vitæ insidiantes, quoquomodo, vel significatione poteritis cognoscere, nullum apud vos, vestrosque fideles valeant aliquatenus locum, vel aditum inuenire, ne immunda eorum præsentia aliqua confortii macula regium culmen contagiet. Pallium vero, vestra petitione inclinati, Theotmaro archiepiscopo consuetudinaliter dirigentes; optamus vt hoc decore interius fulgeat in oculis interni iudicis, quo niter exterius humanis obtutibus, cuique quæso committite ea, quæ apud Bagoariam beatus Petrus apostolus habet, vti nobis annualiter reditus eius Romam transmittat. Data mense Nouembri, indictione xi.

EPISTOLA LXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD THEOTMARVM ARCHIEPISCOPVM
IUVANNENSEM.

Pallium ei concedit: mandat vt reditus, quos Romana ecclesia apud Bagoariam habet, Romam mittat.

Theotmaro archiepiscopo Iuannensi.

IDCIRCO tuam fraternitatem tanto pallii decore studuimus decorare, vt Christo opitulante, & ante Dei oculos bonis & sanctis actibus polleas, & sanctæ Romanæ ecclesiæ, a qua potus præclari poculi sumis, deuotus semper fidelis existas, eius in futurum effectus particeps, cuius locata perpetualiter fundamentis consistit, & apud Carolomanum regem dilectum filium nostrum quotidianus interuentor pro Romana ecclesia hortamur existas. Inter hæc ea, quæ beatus Petrus apostolus apud Baioariorum terram iure proprietatis possidet, tuæ industriæ sagacitateque committimus: quatenus amodo & deinceps annuos eorum reditus Romam sine mora transmittas. Data mense Nouembri, indictione xi.